Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 831

Quelle:
Copyright:

CCCLXXI.

U. 258 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 316. f. per duas columnas luculente descriptus, minio enotatus, et olim, ut praefert, legatus a *M. Andrea de Weytra arcium ac sacre pagine professore et ad D. Stephani Can. ad Collegium B. M. V. rubee rose apud fratres predicatores in Wienna*, cujus fuerat *Superintendens*, exhibet *Gregorii M. Moralium in Job Libros* priores XVIII. praecedente rite Epistola ad *Leandrum* Ep. cujus initium: *Dudum te frater beatissime* &c. Expositio ipsa incipit: *Inter multos sepe queritur* &c. ut edit. *Maur. Paris.* 1705. T. I. *col.* 7. f. cujus lectioni satis consspirat nostra. Ad calcem habetur *Registrum* duplex in universum Opus, quorum unum de materiis in omnibus XXXV. *Libris* contentis alphabeticum, alterum chronologicum, quo sacro Oratori Praedicabilia tam de Tempore, quam de Sanctis per anni circulum indicantur. Haec *Registra* gaudent Praefamine, quod incipit: *Quoniam sumus in hoc mundo extensi sicut cordæ in cithara, ut ad manum summi artificis alter alteri sonet. Ecce frater karissime tetigit me altissimus tuis precibus assiduis, ut tibi sonarem. In hoc libello sono tibi tangens te velut aliam cordam vt sones alijs. Deponas iam tuas uoces querulas, quibus dicebas: moralia beati gregorij sunt prolixa, sunt difficilia, sunt ad habendum rara, non possum eis uti ad predicandum* &c. Antiquae *Moralium* Editiones v. g. *Romana* 1475. f. habent quidem Indicum Praefamina, sed nostrum istud, quod saltem Sec. XIV. videtur, nullibi reperi.

CCCLXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 259 Folior. 185. f. per duas columnas, alia quidem a praecedente, proba tamen manu exaratus, rubricis enotatus, et ab eodem *M. Andrea de Weytra* eidem *Collegio* suprema voluntate addictus inscribitur minio: *Incipit liber moralium beati gregorij decimus nonus Job 28. capitulo.* et inchoat: *Quid mirum si eterna dei sapientia* &c. Lectio a secunda manu castigata parum abit ab Edit. *suprac.* expendat tamen Lector, an finis Operis non habeat rectius in Codice: *lector meus in recompensacione uel reprehensione me superat, si sicut per me uerba accepit, pro me lacrimas reddat omnipotenti deo;* quam in Edit. *lector meus in recompensatione me superat, si cum per me verba accipit, pro me lacrimas reddat.*

CCCLXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 260 Folior. 242. f. per duas columnas currente calamo exaratus, rubricis distinctus, et olim *Collegio ducali* donatus a *M. Haynrico de Haslach Baccal. s. Theol. et canonico regulari O. S. Aug. ad sanctam Dorotheam in Wienna* ejusdem Operis *Libros* XVI. priores